A *Matthias, portæ cœlorum infixus inhæret,*
Omnia cum Chriſto teſte abiiſſe putans.
Judas è cunctis corpus ſine fronte levatus,
Conſpicit occiſum vivere in orbe Deum.

Benedictus Arias Montanus in humanæ ſalutis monument. Tub.48. de legatione Apoſtolorum ita cecinit:

Sæculorum præſcripto ex ordine finem
Certa Deo voluentibus annis
Tempora protulerant hominem, quoque magna per orbem
Strata ſeges matura jacebat:
Agricolam jam cana ſuum cum terra vocaret,
Et falcem expectaret acutam,
Redderet ut fœtas ſervandi farris arriſtas,
Et culmos quoque rurſus inanes:
Tunc Domini meſſis natus, ſummuſque miniſter
Orbis imago auctorque novandi,
Selectorum operi tanto, duodena virorum
Ora tuens, ſic fatur amice:
O mihi præchari comites, ſociique laborum,
B *Arcanique ſacraria magni,*
Non vos parva manent diſcrimina vertere miſſos
Terrarum moremque modumque,
Queis maris horriſoni fluctus ac dura viarum
Sunt adeunda pericula ſæpe:
Non ut Erithræas gemmas oſtrumque ſuperbum,
Numorumque paretis acervos:
Sed magis, ut nudi atque inopes patriaque remoti,
Vexati inſtabileſque vagique,
Vulpibus infeſtiſque rapacibus, agni
Imbelles blandæque columbæ
Sitis, lux tenebris nimiumque furentibus ægris
Fomentum medicique fideles.
Ite igitur fortes, & me duce me auſpice magni
Conſilium curate parentis.
Æthereas ſperate & opes æternaque ſedis
Sceptra meæ, & convivia menſæ.

Loca in quibus Apoſtolatus munere perfuncti fuere, brevi carmine expreſſit, & complexus eſt *Venant. Honorius Fortunatus in Carm. de*
C *ſpe & gaud.*

Cis duodena ſenum concurſat gloria vatum,
Attonito ſenſu plaudere, voce, manu.
His venit Elias, illis in curribus Enoch,
Et nati bino virgo Maria prior.
Legis conſulti Pauli comitante volatu,
Princeps Romana currit ab arce Petrus.
Conveniunt ad feſta ſimul ſua dona ferentes,
Hi quorum cineres urbs, caput orbis, habet.
Culmen Apoſtolicum radianti luce coruſcum,
Nobilis Andream mittit Achaja ſuum.
Præcipuum meritis Epheſus veneranda Johannem
Dirigit, & Iacobos terra beata ſacros.
Læta ſuis votis Hierapolis alma Philippum,
Producens Thomam munus Edeſſa pium.
Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum, eximium Nadda fert alta virum.
Hinc Simonem & Judam, lumen Perſæa gemellum
Læta relaxato mittit ad aſtra ſinu.
Et ſine rore ferax Ægyptus torrida Marcum,
D *Lucæ Euangelia participante tuba.*

APOSTOLORUM ELECTIO, Ejusque Causa, Ubi Etiam De Electione Judæ.

De Apoſtolorum electione tractat in Euangelio ſuo Lucas & Marcus, eaque facta colligitur à Janſenio *cap.*31. Concordiæ, antequam Chriſtus ſermonem ad illos, & turbas eum exſpectantes habuit de octo beatitudinibus, poſtquam in montem aſcendiſſet orare, imò in oratione pernoctaſſet, ut in meſem, quæ multa erat, idoneos cooperarores Pater cœleſtis extruderet, docens, quanta ſedulitate & circumſpectione laborandum ſit in deligendis ad munia Eccleſiaſtica miniſtris.

Quòd autem ex multis adeò diſcipulis ſuis, quorum, ut poſtea dicit, turbam habuit, duodecim ſelegit, quos Apoſtolos nominavit, & conſtituit, quos & voluit peculiariter ſecum eſſe, hoc eſt individuos habere comites, & deinde mittere primùm ad prædicandum Euangelium regni, cum poteſtate curandi infirmos, ejiciendi dæmones: præcipua cauſa eſſe videtur, ut ſicut duodecim erant tribus populi Dei, ad quem ſuos mittere voluit: ſic ut eſſent duodecim, qui mitterentur, voluit Princeps duodecim tribuum Iſrael. E Quamvis autem ad prædicandum tribubus Iſrael primùm miſſi ſint, ſunt tamen etiam ad prædicandum poſtea gentilibus ordinati, idque in numero duodenario, ideò convenienter, quia duodecim tribus Iſrael, typus quidam erant totius populi Dei ex omnibus gentibus colligendi.

Sicut ergo per duodecim tribus deſignatus eſt univerſus Dei populus, ita duodecim eſſe conveniebat, qui primi eſſent auctores congregandi verum Iſrael, hoc eſt, quidquid ubique erat filiorum Dei. Sunt qui dicant, morem Judæis fuiſſe in rebus gravioribus conteſtandis duodecim teſtes adducere. Sic ergo & Dominum ad conteſtandum Euangelium ſuum hos duodecim teſtes deputaſſe. Verùm prior ratio ſatis ſubindicata eſt à Domino, cùm dicit, Apoſtolos ſuos, veluti duodecim principes populi Dei, ſeſſuros ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael.

Quòd ſi quæratur, cur etiam Judam proditorem in numerum Apoſtolorum delegerit, maximè cum orationem præmiſerit, qua, ut dictum eſt, precabatur electionem ſuam di- F rigi à patre, ut idonei eſſent qui eligerentur: dicendum, ſingulari id Dei diſpenſatione factum eſſe. Et ſecundum *Theophylatum* id factum eſt, eò quòd pro illo tempore Judas bonus eſſet, & Apoſtolatu non indignus, ut diſcamus, quòd non propter futuram malitiam Deus quenquam aſpernetur mala operaturum; ſed propter præſentem virtutem etiam honorat, quem ſcit futurum malum. Verùm incertum, an tempore electionis Judas fuerit bonus, an potiùs ipſo principio malus, cùm multò antequam de tradendo Domino Judas cogitaret, dixerit de ipſo Dominus: Ego vos duodecim elegi & unus ex vobis diabolus eſt.

Proinde omiſſa illa ratione, dicendum primò, ideò à Domino factum, quia Patri viſum fuit, & in Scripturis prædictum, ut ab intimo ſuo diſcipulo in mortem traderetur. Secundò, ut oſtenderet fieri non poſſe, quin in Eccleſia bonis mali ſint permixti, nec ita nos cunctos eſſe poſſe in deligendis ad ſacra munia miniſtris, quin & eos aliquando deligamus, qui vel ſunt mali, vel futuri ſunt mali: ferendos tamen eſſe, donec ipſi ſe perdant, aut prodant; nec eos, quorum intereſt in Eccleſiam aliquos recipere, aut ad ſacra miniſte- G ria aliquem deligere, culpandos eſſe, ſi poſt expenſationem eorum quæ humanitùs illis patere poſſunt, ac preces ad Deum fuſas, quidam deligantur fecati, aut poſtea mali futuri. Has duas rationes paucis complexus eſt *Auguſt. lib.*18. *de civitate Dei*, ſic ſcribens: Habuit inter Apoſtolos unum, quo malo utens bene, & ſuæ paſſionis impleret diſpoſitum, & Eccleſiæ ſuæ tolerandorum malorum præberet exemplum,

Indicat & *Ambroſius* alias duas rationes electionis Judæ, videlicet in commendationem Euangelicæ veritatis, & in commendationem charitatis Chriſti erga nos, ac pietatis erga malos & hoſtes ſuos, dum illum ſibi tam familiarem fecit, à quo ſciebat ſe morti tradendum pro ſalute noſtra. Sic enim Ambroſius ſuper Lucam: Eligitur & Judas non per imprudentiam, ſed per providentiam. Quanta eſt veritas quam nec adverſarius miniſter infirmat! Quanta moralitas Domini qui periclitari magis apud nos judicium ſuum, quàm affectum maluit! Suſceperat enim hominis fragilitatem, & ideò nec has partes recuſavit infirmitatis humanæ. Voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo tradi, ut tù à ſocio deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras tuum erraſſe judi- H cium, periiſſe beneficium. Hæc ille.

XII. APOSTOLORUM TYPI Et Figuræ.

Duodenarius hîc Apoſtolorū numerus per multas figuras in veteri teſtamento præſignatus eſt, videlicet per duodecim filios Jacob, per duodecim principes Iſrael, per duodecim fōtes inventos in Helim, per duodecim adoleſcentes offerentes hoſtias pacificas & holocauſta poſt lectam legem Domini, per duodecim Lapides in rationali Aaron, per duodecim panes propoſitionis, per duodecim exploratores miſſos à Moyſe, per duodecim Lapides, unde 3. *Reg.*18. factum eſt altare ab Elia, per duodecim lapides ſublatos de Jordane, per duodecim boves qui ſuſtinebant mare æneum, per duodecim judices quorum meminit *Liber Iudicum*, qui præfuerunt populo Iſraelitico poſt Jeſum Nave. Similes etiā ſūt duodecim Apoſtoli adoleſcentibus illis duodecim, de quibus *Exod.*24.
Nam

A Nam prædicando Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum, factumque holocauſtum & hoſtiam pacificam pro electis, quo gratiæ fœdus inter Deum & illos confirmatur, qui recipiunt ſe victores ſecundum legem Dei, ejecti noſtri ſacerdotes, ſeu præſules fuere.

Sunt & ſicut gemmæ quas in pectore ſuo vetus Aaron noſter ſummus ſacerdos geſtavit, in ipſis & per ipſos declarans, verè ſe in pectore geſtare omnem populum Iſrael charitate ineffabili, qua & pro eodem moti voluit.

In novo etiam teſtamento numerus hic 12. Apoſtolorum deſignatus eſt per 12. ſtellas in corona ſponſæ per 12. fundamenta, perque 12. portas novæ Hieruſalem, quas in ſpiritu vidit Joannes.

EORUMDEM TITULUS. NOMINATIO &c. In Generali.

Obſervandum eſt, Dominum novo horum delectorum miniſterio novum etiam indidiſſe nomen, & id quidem convenientiſſimum; nimirùm, quod non tam eſſes dignitatis nomen, quàm officii, quodque & ipſos electos ſui commonebat officii, & ipſis populis, quibus erant prædicaturi ipſos B commendatiores reddidit, tanquam non ſuam, ſed Dei, & Chriſti, à quo miſſi erant, gloriam quærentes, neque à ſeipſis prædicandi officium vendicantes. Apoſtolus enim Græca dictio latinè ſonat idem quod miſſus nuntius.

Non tamen omnis nuntius ab aliquo miſſus, Græcis dicitur Apoſtolus, ut non tabellio, ſed qui ore negotium agit, quod accepit in mandatis, quique ore aliquid nuntiat, qualem Latini Legatum vel oratorem vocant. Unde Paulus & Petrus ſe vocant Apoſtolos Jeſu Chriſti, quia ſcilicet in mandatis habebant à Jeſu Chriſto prædicare de ipſo. Sicut autem nomen Epiſcopus, factum eſt ex uſu Eccleſiaſtico nomen dignitatis: ita & nomen Apoſtoli ex hac Domini impoſitione factum eſt in Scripturarum uſu dignitatis nomen, ſicut & apud Athenienſes aliquando nomen hoc ſuit nomen principatus, cujus officium erat rectè atque ordine curare inſtruereque claſſem. Nam verbum ἀποστέλλω, unde derivatur ἀπόστολος, ſignificat curſum navis dirigere, & de dirigendis navibus diſponere & conſtituere.

Apoſtolorum res præclarè geſtas in prima Euangelii prædicatione, eleganter & ſedulò complexus fuit S. Lucas. De quo ope- C *re S. Hieron. Aliud quoque edidit volumen* (nempè Lucas Euangeliſta) *quod Tit.* πράξεις Ἀποστόλων *prænotatur, cujus hiſtoria uſque ad biennium commorantis Romæ Pauli pervenit, id eſt, uſque ad 4. Neronis annum: ex quo intelligimus in eadem urbe librum compoſitum.*

☞ *Referat Lector in hunc locum ea quæ de Apoſtolis, eorumque prædicatione dicentur ſub loco Doctorum, Præceptorum, &c.*

☞ *Eorum verò mors & martyrium petantur ex Loco martyrum.*

---

* Apparitio.

Definitio Et Etymologia.

Apparitio idem eſt quod oſtenſio, viſio, manifeſtatio, ab appareo. Græcè Ἐπιφάνεια. Dicuntur autem apparitiones, manifeſtationes factæ præter ordinem naturæ, ha- D bentque locum in ſpiritibus, quando illi hominum obtutibus ſe certo modo inſinuant: dicuntur alio nomine viſiones.

Genera Varia.

Triplex apparitionum genus *Iſid.* conſtituit, quarum una corporalis, altera ſpiritualis ſive imaginaria, tertia intellectualis dicitur. Duabus prioribus ſpiritus alienas formas mutuantur, quibus ſe ſenſibus ingerunt. In tertia fieri poteſt ut ſe ipſis mentem occupent, eſtque hæc divinior, & rariùs contingit.

Corporibus illa apparitio, viſus & auditus præcipuè, aliquando etiam aliorum ſenſuum fit miniſterio, ſemperque contingit hominibus vigilantibus, & ſpiritibus ſe ſub corporeis formis exhibentibus, aut certè vehementer ſenſum immutantibus. Imaginaria verò accidit, nunc vigilantibus, nunc ſopore preſſis ſpiritibus non tam ſe aliena ſpecie inſinuantibus, quàm ſui ipſorum ideas in hominis imaginatione formantibus, & excellentiori quodam modo, quàm in illa corporali, nobiſcum agentibus.

Sæpiſſimè tamen evenit, ut hæc duo genera confundantur, ut ſcilicet ſe ſenſu aliquo externo percipiendos offerant, & quaſi hominem excitent Spiritus; atque ſtatim deinde totam imaginationem, ſenſu relicto, occupent. Cujus rei exem- E pla in probatiſſimis hiſtoriis quamplurima licet obſervare.

Quæ verò in ſomnis contingunt apparitiones, non unius generis ſunt omnes. Quædam Oracula dicuntur; quædam viſiones; quædam ſomnia. Oraculum eſt, cùm in ſomnis gravis quædam perſona apparet, & quid eventurum, aut non eventurum, quid faciendum, aut omittendum annuntiat. Viſio, cum id quod quis videt, eodem modo, quo apparuerat, evenit. Somnium eſt figuris tectum, & ſine interpretatione intelligi non poteſt.

Et licèt omnes has ſpirituum, quibus humanis rebus interſunt, atque nobiſcum agunt, communiones, apparitiones dicere poſſumus: in illas tamen magis hoc nomen quadrare videtur, in quibus ipſi ſe ſenſibus externis, & maximè uſui ingerunt, à quo etiam habent, quòd viſiones dicantur. Tunc deinde proximum ſibi locum vendicant, quas imaginarias vocamus.

Porrò ad corpoream viſionem oportet, præter ſpeciem concurrat opus externum, aut certè vehementiſſima ſenſus, alia quidam ratione, immutatio. Oportet, quodam modo F corpori ſe ſpiritus uniat, & non ut rector tantùm aſſiſtat. Oportet, ita veniat, ut & operatio corporis ſpiritui, & nomen ſpiritus ipſi corpori quodam modo poſſit attribui. Imaginaria paucioribus eſt contenta. Pauciſſimis illa, quam intellectualem vocamus. *Vide D. Thom.* 1. *par. q.* 51. *art.* 2. *ad* 2.

* APPARITIONES DEI ET ANGELORUM. Ex S. Scriptura.

Ante peccatum loquutus eſt Dominus ad Adam, poſt peccatum ad Adam & Evam, & ad Serpentem. Cain etiam ante fratricidium, & poſt durè arguit eum. *Gen.*2. & 4.

Noe præcepit Dominus, ut faceret arcam, deinde, ut ingrederetur in eam. Et poſt excitationem terræ, præcepit ut egrederetur de arca. Deinde benedixit Dominus Noe & filiis ejus, & dixit ad eos: Creſcite & multiplicamini. *Gen.* 6. 7. 8. & 9.

Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua & de cognatione tua. Eodem cap. Apparuit Dominus Abrahæ, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. *Gen.*12.

Poſt captivitatem & liberationem Loth, proximo cap. Fa- G ctus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem. Deinde apparuit ei Dominus, & dedit ei præceptum circumciſionis. *Gen.*14. & 15.

Apparuerunt ei tres viri, &c. Tunc audivit certum tempus filii naſcituri. *Gen.*18.

Venerunt duo Angeli, ſedente Loth in foribus civitatis: qui cùm vidiſſet eos, ſurrexit, & ivit obviam eis, & adoravit eos. *Gen.*19.

Venit Dominus ad Abimelech per ſomnium, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum. *Gen.*20.

Cùm durè accepiſſet Abraham verba Saræ, conquerentis de ancilla & filio ejus, dixit ei Dominus: Non tibi videatur aſperum ſuper puerum. *Gen.*21.

Apparuit Angelus in deſerto Agar ancillæ & filio. *Ibid.*

Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum, &c. Et poſtquam extendiſſet gladium, ecce Angelus Domini, &c. *Gen.*22.

Apparuit Dominus Iſaac in Gerara, ac poſteà in Berſabee, dicens: Ego ſum Deus Abraham patris tui, &c. *Geneſ.*46. H

Apparuit Jacob multoties, eunti ad Laban *Geneſ.* 28. & redeunti *cap.*21. ubi etiam dixit Laban in ſomnis: Cave, ne quicquam aſperè loquaris contra Jacob. Et poſt loquutus eſt Dominus pluries ad Jacob. *Gen.*28. 31. & 32.

Quoties apparuerit Moyſi, & loquutus fuerit, nimis longum eſſet dicere: videatur *Exod. c.*3. *& ſeq. in lib. Exod. per totum.*

Legitur quoque Dominus fuiſſe loquutus Balaam dormienti, & eidem ſedenti ſuper Aſinam, quæ vidit Angelum quem Balaam non vidit. *Num.* 22.

Pluries etiam loquutus eſt Dominus ad Joſue, ſicut apparet *Joſue c.*1. 4. 5. 7. & 13.

Poſt mortem Joſue conſuluerunt filii Iſrael Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos? Dixitque Dominus: Judas aſcendet. *Jud.*1.

Aſcendit Angelus Domini ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto. *Ibid.*2.

Venit Angelus Domini, & apparuit Gedeoni, & ait: Dominus tecum. *Jud.*6.

A Apparuit Angelus Domini uxori Manue: & alia vice apparuit Manue pariter & uxori ejus. *Jud.*13.

Filii Iſrael congregati, ut pugnarent contra Benjamin, conſuluerunt Dominum, quibus ait, Quòd Judas eſſet dux exercitus. Licèt autem bis fuerint debellati, tamen dixit eis Dominus, quòd pugnarent. *Jud.*20.

Vocavit Dominus Samuel quater, tandem ait: Loquere Domine, quia audit ſervus tuus; juxta conſilium, quod dederat ei Heli Sacerdos: ſequitur, Addidit Dominus, ut appareret in Silo, 1. *Reg.* 3.

Quando David debebat committere prælium, frequenter conſulebat Dominum, qui ſemper legitur ei reſpondiſſe, ut patet in multis locis 2. *Reg.* per totum 2. *Reg.*2.

Apparuit Dominus Salomoni dicens, Poſtula quod vis. 3. *Reg.*3.

Cum perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & domus regis, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum, Exaudivi orationem tuam. 3. *Reg.*9.

Eidem loquutus eſt, increpans eum durè propter ſcelera ab eo commiſſa. 3. *Reg.*11.

B Eliæ fugienti à facie Jezabel, apparuit Angelus Domini, qui ei panem & aquam oſtendit; Dominus quoque in ſibilo auræ tenuis. 3. *Reg.* 19.

Eliſæo ab exercitu Syrorum circumdato apparuerunt multi Angeli, defendentes eum, quos & puer ejus vidit ad ſimilitudinem equorum & curruum igneorum. 4. *Reg.*6.

Longo tempore duravit apparitio Raphaelis Archangeli, quem Dominus miſit ad curandam Saram. *Tob.* 5. & infra uſque in finem.

Multas mirabiles viſiones diverſi Prophetę viderunt. *Iſajæ* 6. *Ier.*1. De virga vigilante, & de olla ſuccenſa. *Item Ier.* 24. De duobus calathis ficubus plenis, præcipuè verò *Ezech. Daniel*, *Amos*, *Zacharias*, pleni ſunt imaginariis viſionibus, quas exprimere longum eſſet.

Volente Heliodoro ſpoliare templum, & depoſita aſportare, apparuit quidam equus, terribilem habens ſeſſorem. 2. *Mach.*3.

Cùm vehemens pugna eſſet inter Timotheum & Judam C Machabæum, apparuerunt quinque viri in equis, frenis aureis decorati, ducatum Judæis præſtantes, è quibus duo Machabęum medium habentes armis ſuis circumſeptum, incolumem ſervabant. *Ibid. c.*10.

Euntes Judæi ad prælium contra exercitum magnum Lyſiæ Machabæo duce, apparuit præcedens eques in veſte candida armis aureis haſtam vibrans. *Ibid. c.*11.

Angelus Domini legitur apparuiſſe Joſeph. Primò, cum eſſet adhuc Dominus in matris utero. Secundò, cum natus ex utero. Tertiò, cùm eſſent in Ægypto. *Matth.* 2.

Super Dominum baptizatum Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie viſus eſt: paterna vox audita eſt, Hic eſt filius meus dilectus. *Matt.*3. *Lucæ* 3.

Item in transfiguratione apparuerunt Moyſes, & Elias cum Domino loquentes, & vox de cœlis audita eſt. *Matt.* 17. *Luc.*9.

Reſurgente Domino Jeſu Chriſto, multa corpora ſanctorum, qui dormierant, reſurrexerunt; & exeuntes de monumentis, venerunt ad ſanctam civitatem, apparueruntque multis. *Matt.*27.

Surgens Jeſus mane prima ſabbati apparuit primò Mariæ D Magdalenæ. Deinde Mulieribus redeuntibus à monumento. Tertiò Petro. Quartò Diſcipulis duobus euntibus in Emaus. Quintò decem Diſcipulis congregatis. Sextò Thomæ, & aliis decem. Septimò ad mare Tyberiadis. *Marc. ult. Matt.*28. *Io.*20. & 21.

Noviſſimè, recumbentibus XI. diſcipulis, apparuit, & exprobravit eis incredulitatem eorum. *Luc.*24.

Item Angeli apparuerunt Mulieribus, ut patet *Matt.* 28. *Marc. ult. Io.*20.

Poſt paſſionem ſuam Dominus Jeſus præbuit ſeipſum vivum in multis argumentis, per quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno Dei. Sequitur in *eodem cap.* Cumque intuerentur in cœlum, ecce duo viri adſtiterunt juxta illos. *Act.* 1.

Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes Diſcipuli pariter in eodem loco. Et apparuerunt eis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis. *Ibid. c.*1.

Stephanus plenus Spiritu ſancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. *Ibid. c.*7.

Cùm appropinquaret Saulus Damaſco, ut caperet Chriſtianos, ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo, & audivit E Dominum Jeſum Nazarenum dicentem ſibi: Saule, quid me perſequeris? & conſequenter apparuit Ananiæ. *Ibidem* 6.

Cornelius Centurio, vir religioſus & timens Deum, vidit manifeſtè quaſi hora diei nona angelum Domini dicentem ſibi: Corneli, mitte viros in Joppen, & accerſe Simonem Petrum, hic dicet tibi, quid te oporteat facere. *Ibid. c.*10.

Orante Petro & eſuriente, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum, ac deſcendens ad ſe vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis alligatum ſubmitti è cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, beſtiæque, & reptilia, & volatilia cœli. *Ibid.*

Angelus Domini inſtitit, & refulſit lumen in habitaculo carceris, in quo erat dormiens Petrus, vinctus catenis duabus: percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. *Cap.*12.

Cùm Paulus & Sylas tranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Trojadem. Viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat, ſtans & deprecans eum, dicens: Tranſiens in Macedoniam adjuva nos. Dixit Dominus nocte per F viſionem Paulo: Noli timere, loquere, ne taceas. *C.*16.

Quadam nocte Dominus aſſiſtens Paulo, ait illi: Conſtans eſto Paule, ſicut teſtificatus es de me in Jeruſalem, ſic & Romæ te oportet teſtificari. *Cap.*23.

Conſolari volens Paulus ſocios ſuos tempore tempeſtatis, ſuaſit eis bono animo eſſe, dicens: Aſtitit mihi Angelus hac nocte, dicens: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere. Et ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. *Cap.*27.

B. Jo: Apoſtolus & Euangeliſta exilio relegatus in Pathmos inſula, vidit Chriſtum in medio ſeptem candelabrorum aureorum, & mirabilibus revelationibus totus liber plenus eſt. *In Apoc.*

☞ *Apparitionis Dæmonum exempla, cum ex S. Scriptura, cum ex Hiſtoriis, petantur ex Loco de Spiritibus. Vbi etiam nonnulla de Beatorum Angelorum apparitionibus.*

* SANCTORUM E COELESTI GLORIA G APPARITIONES.

Nero Imperator certior factus, à Petro & Paulo Simonem peremptum eſſe, Petrum quidem pedibus ſurſum verſum ſublatis (nam id ita petierat, ſimul quòd ſe indignum reputaret, qui itidem ut Magiſter ſuus, recto corporis ſtatu pateretur, ſimul ut levior expeditiorque ei in cœlis eſſet curſus) in crucem egit: Paulum verò gladio feriens occidit, eodem tempore eodemque die. Sepulti autem ſunt in Oſtienſi, quæ dicitur, via, trigeſimo & ſeptimo poſt ſalutiferam Chriſti paſſionem anno. Ferunt autem, Paulum Neroni anteà teſtatum eſſe, ſe illi tertio à cæde ſua die vivum repræſentaturum. Quod ubi eſt factum, in conſternationem illum conjecit. Et cum poſt mortem Paulus, ita ut prædixerat, certò & verè illi aſſiſtens, liberè Chriſtum verum eſſe Deum profiteretur, neque veram ſalutem, in alio quàm in Jeſu nomine, eſſe oſtenderet: illum quidem di- H cunt conatum eſſe, minimè autem (quòd viſio ea repentè evanuerat) comprehendere Paulum potuiſſe. *Niceph. Call. hiſt. Eccl. l.*2. *c.*36.

Cùm D. Jo: Chryſoſtomus exularet ad Piryuntem oppidum, ad finem Pontici maris ſitum, ſæviſſimis barbaris conterminum, & jam ad Deum migraturus eſſet, noctu ei oranti, qui vitæ ejus duces fuerant, Petrus & Joannes adſiſtentes, perquàm amicè cum eo ſunt collocuti: eique cum adverſus dæmones victoriam, tum poſtremò migrationem ad Deum, & quæ eum exceptura eſſent, bonorum perceptionem cum lætitia annuntiarunt. Dein cœleſti & ineffabili eum eſca paverunt: ex quo tempore nihil poſteà cibi ſumpſit. Dicta hæc ab eis ſunt, quibus ille ea ſecum verſantibus concredidit. Hinc etiam ille ad majora progreſſus eſt certamina. Ad Comanenos autem Armeniæ cum veniſſet, ad templum Baſiliſci martyris ductus eſt, qui Epiſcopus fuiſſe & ſub Maximino Nicomediæ martyrii certamen obiiſſe dicitur. Ibi in ſomnis ei apparens martyr: Bono, inquit, animo eſto, Joannes frater, utrumque craſtina dies conjunget. Ille etiam cuſtodi templi, ut locum Joanni pararet, præcepit. *Niceph. l.*13. *c.*37.

A Petrus Fullo, qui ſedis Antiochenæ Epiſcopatum vi occuparat, vir impius, Arrianus, cùm innumeris malis partes Orientis affeciſſet, non contentus, in provincias etiam illas, quæ nihil ad eum pertinebant, manus injecit. Cùm enim Zenonis Imp. & eorum, qui erant apud Imper. gratioſi, lenitatem auro ſibi comparaſſet, ipſius etiam Dei legem deinceps contempſit: & Cyprios homines Dei & fidei amatores, ac vera ſentientes, omni modo vexare cogitavit: quoniam ejus inſulæ habitatores pietatem à parentibus ſuis traditam ſervantes, recuſabant cum ejus impietate communicare. Itaque Cypri ſedem ſanctiſſimam, & à principio inde uſque ab Apoſtolorum tempore liberam, ipſe arripere & ſibi ſubjicere aggreſſus eſt: idque ad Imperatorem retulit, falſum deferens, ac dicens: Quoniam verbum Dei ab urbe Antiochia ad Cyprum inſulam manavit: ob id Cypri Eccleſiam ſub Anthiochenæ ſedis Patriarcha eſſe oportet, quandoquidem Apoſtolica & Patriarchalis ſit ſedes. Hæc ille rectæ fidei & ſententiæ deſertor contendebat, cum tamen non ignoraret, ea quæ in urbe Epheſo ſancta illa ſynodus, Cyrillo præſidente, definierat, à ſe violari atque corrumpi. Sed B pietatis præco, & ſanctiſſimus Apoſtolus Barnabas, patriæ ſuæ opportuno tempore ſubveniens, illius Petri ſtultitiam, vel malitiam potiùs redarguit. Cùm enim Epiſcopus Salaminæ juſſus fuiſſet ad regiam urbem ſe conferre, & adverſus Antiochenos coram Patriarcha cauſam dicere, præ timore torpeſcebat, Fullonis illius inſidias ſuſpectas habens. Erat tunc Salaminæ urbis Epiſcopus Anthemius, vir cum primis admirabilis, quod ad rectam fidem & vitæ innocentiam pertineret, ſed ad diſputationem cum adverſariis ſuſtinendam parùm valebat. Cùm igitur ancipiti fluctuatione fluctuaret, neque certum haberet, quid ageret, num videlicet Conſtantinopolim proficiſci deberet, necne; nocte in ſomnis aſtitit illi quidam, divinam quandam ſpeciem præ ſe ferens, & luminis ſplendore multo effulgens, lucidaque veſte indutus, & ſacro habitu decorus, qui & hæc dixit: Cur ita triſtis es nunc, Epiſcope? Quomodò tantus iſte torpor te corripuit? Cur vultus tuus ita concidit? Nihil mali ab adverſariis tuis patieris. Hæc cùm dixiſſet, ab Arthemio diſceſſit. Qui experrectus, & timore perterritus Epiſcopus, in faciem ſe proſtravit, & multis lachrymis ita Deum deprecatus eſt: C Domine Jeſu Chriſte fili Dei vivi, adjuva Eccleſiam hanc; ſcio autem, quòd illam adjuvas. Si viſio hæc à te profecta eſt, fac quæſo, ut ea iterùm ac tertiò mihi oſtendatur, ut te mecum eſſe certò ſcire poſſim.

Intereà Epiſcopus ille divinis precibus attentiùs vacabat, ab omnium hominum congreſſione remotus. Nocte autem quæ deinceps conſecuta eſt, cùm aſtitiſſet idem ille vir eadem forma & habitu, quo anteà uſus fuerat: Jam, inquit, tibi dixi, nihil mali te paſſurum ex iis, quæ tibi adverſarii minantur. Nihil igitur ſuſpicans, prompto animo ad urbem Conſtantinopolim venias. Hæc cùm dixiſſet, diſceſſit. Epiſcopus verò rurſum Domino gratias egit, neque quicquam alicui dixit; ſed expectabat tamen revelationem tertiam. Nocte igitur conſequente idem vix apparuit, qui graviùs eum increpans: Quòuſque, inquit, non vis credere verbis meis, quæ diebus his complenda ſunt? Proficiſcere in urbem regiam prompto & alacri animo: illinc enim cum gloria reverteris, nec quicquam mali ab adverſariis patieris? cùm Deum ipſum propter me ſervum ſuum tui propugnatorem habeas. Tunc Epiſcopus: Quæſo, inquit, do- D mine mi, dic, quis es tu, qui hæc mecum loqueris? Tunc ille ait: Ego ſum Barnabas diſcipulus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſegregatus à Spiritu ſancto, ut unà cum Paulo Apoſtolo electionis vaſe munus Apoſtolicum inter gentes exercerem. Hujus rei ſignum hoc habeas: Egredere extra urbem Occidentem verſus, ſtadiis quinque in eam regionem, quæ ſanitatis locus appellatur (per me enim Deus ipſe in loco illo miracula efficit) & ſub arbore ſiliquæ effodias; ſpeluncam enim atque arcam invenies; quoniam illic totum corpus meum conditum eſt, & Euangelium propria manu ſcriptum, quod à ſancto Apoſtolo & Euangeliſta Matthæo excepi. Quoniam verò adverſarii tui rurſum & deorſum miſcentes omnia, & jura quædam objicientes tecum diſcrepant, Antiochiæ ſedem Apoſtolicam eſſe contendentes, & tu contrà jus tuum illis opponas: Et mea, inquiens, ſedes Apoſtolica eſt: nam & Apoſtolum habeo in patria mea. His dictis Barnabas diſceſſit. Epiſcopus verò experrectus Deum adoravit; totoque Clero & populo Chriſtianiſſimo congregato, exiit in eum locum, quem per revelationem didicerat, multo apparatu, & cruce ipſa prælata: Cumque preces ad Deum miſiſſet, juſſit locum effodi: quem E poſtquam paululùm fodiſſent, invenerunt ſpeluncam lapidibus obſtructam. Illis autem ſublatis, apparuit arca illa. Qua detecta, invenerunt venerandas ſancti & venerabilis Apoſtoli Barnabæ reliquias, ſuavem gratiæ ſpiritualis odorem ſpirantes. Invenerunt etiam Euangelium ſupra Barnabæ pectus impoſitum. Illam verò arcam plumbeo ſigno munierunt. Cumque Deum precati eſſent, diſceſſerunt, viris religioſis in eo loco ab ipſo Epiſcopo conſtitutis, qui veſpertinis & matutinis hymnis Deum collaudarent. Illę ergo inſigniores Epiſcopos ſecum habens, venit in urbem regiam Conſtantinopolim, & ad Patriarchæ domum deductus eſt. De cujus adventu cùm Imperator audiſſet, Patriarchæ ipſi mandavit, ut cum Synodo, quæ illuc convenerat, omnium Patrum controverſiam audiret, & quod illi videretur, decerneret. Coacto igitur concilio cum cauſa illa tractaretur, adverſarii afferebant ſua jura, ut ſibi videbantur, quòd Antiochena ſedes Apoſtolica & Patriarchica eſſet; ob idque contendebant & alias provincias ſibi ſubjectas eſſe debere. Beatus verò Anthemius paulùm moratus, contra objiciens: Et mea, inquit, ſedes Apoſtolica fuit, F inde uſque à principio & libertate honorata, qui & Apoſtolum habeo in patria mea integro corpore conſtantem; beatiſſimum, inquam, illum Barnabam, ſanctarum laudum præconiis celeberrimum. Hoc cùm Anthemius oppoſuiſſet, nihil loci adverſariis relictum eſt, cùm Epiſcopi, qui præſentes erant, ſilentio Anthemii orationem confirmaſſent. Adverſarii verò rubore perfuſi, muti remanſerunt, reſponſo illo tam juſto perculſi. Hæc cùm Imperator audiſſet, Epiſcopum Cypri ad ſe accerſiri juſſit, & de revelatione S. Apoſtoli Barnabæ diligenter ab eo quæſivit. Ille nihil ex his, quæ vera cognoverat, occultavit; ſed ordine rem omnem Imperatori narravit. Ille hæc audiens valdè gaviſus eſt, divinæ gratiæ divitias admirans, quòd imperii ſui temporibus tantum miraculum à Deo factum cognoſceret: Tunc Antiochenæ urbis Epiſcopum illinc expulit, & juſſit ut in poſterum Cypri Epiſcopo, quod ad eam cauſam pertinebat, nihil omninò moleſtus eſſet; beatum verò Anthemium Epiſcopum ita rogavit: Quoniam ſancti pontificatus tui temporibus Domino noſtro Jeſu Chriſto placuit ſanctum ſuum Apoſtolum Barnabam revelare, jube, quæſo, G celeriter Euangelium illud, quod inventum eſt, nobis afferri. Id ſi feceris, mihi filio tuo gratiſſimum erit: habebis enim & meipſum poſthac tibi, Pater, in omnibus obtemperantem. Aſſenſus eſt ejus petitioni Epiſcopus, & quendam ex eis, quos ſecum habebat, unà cum fideliſſimo Imperatoris miniſtro, Epiſcopum miſit, qui Euangelium illud in urbem Conſtantinopolim attulerunt: erant autem libri tabellæ thynis ligneis compoſitæ. Euangelium illud Imperator in manibus ſumpſit, & deoſculatus eſt, auroque multo exornatum in Palatio ſuo repoſuit, ubi ad hodiernum uſque diem ſervatur, & in magna quinta Paſchæ feria quotannis in palatii Oratorio Euangelium ex eo libro recitatur: Epiſcopum verò Anthemium magnis honoribus proſecutus, pecuniis multis donatum ad inſulam Cypri remiſit, eique mandavit, ut ſancto Apoſtolo Barnabæ templum in eo loco erigeret, ubi venerandæ ipſius reliquiæ inventæ fuerant. Multi autem ex optimatum numero pro illius templi ædificatione pecuniam contulerunt. Ille igitur in Cyprum reverſus H artifices atque operarios collegit, & ædificationi non mediocrem operam dedit, & Apoſtolo Barnabæ templum valdè magnum tum ædificio, tum multo & vario ornatu inſigne conſtruxit. *Ex hiſt. Alex. Monachi Baron. tom.*6. *Ann. an.* 485.

Cæſarius Conſtantinopolitanus, vir tum temporis potens, conſulari quoque, & præfectoria dignitate ſublimatus, empto loco extra muros civitatis, in quo ſacræ reliquię XL. militum, qui Sebaſte Armenię temporibus Licinii martyrium perpeſſi ſunt, conditæ aſſervabantur, in honorem Thyrſi martyris magnificum ibi templum extruxit. Locus autem ille priùs fuerat deſertus, & totus ſolo adæquatus, adeò ut nihil ſciretur de martyribus. Apparuit Pulcheriæ Imperatrici, Arcadii Imp. filiæ, Theodoſii junioris ſorori, tertiò celebris ille martyr Thyrſus, qui de abſconditis martyribus indicia dedit, juſſitque eos ad ſe transferri, quo eodem loco collocati, eodem quoque honore potirentur. Et ipſi quoque XL. martyres militaribus veſtimentis ſplendidè induti ſe ſe illi manifeſtarunt. Videbatur autem ea res & incredibilis, & prorſùs impoſſibilis: neque enim antiquiores ejus loci Clerici ſæpènumerò interrogati, neque alius quiſque martyres illos

A manifeſtare poterant. Tandem rebus omnibus deſperatis Polychronii Presbyteri opera inventæ ſunt duæ pyxides argenteæ, quibus ſacræ reliquiæ continebantur. His inventis Imperatrix Deo gratias agebat, quòd tantæ eſſet apparitionis dignitatem ſortita, & ſacras haſce reliquias inveniſſet. Deinde pretioſiſſima theca martyres cohoneſtans, collocat eos juxta Divum Thyrſum, ſimulque, ut par erat, publico feſto indicto, competentem pompam cum pſalmodiis inſtituit; cui ego ipſe quoque interfui. Et hæc ſic geſta eſſe teſtificabuntur illi qui in eo feſto præſentes extiterunt: adhuc enim ferè omnes ſuperſunt, eò quòd illa multò poſt acciderunt, cùm Proclus Conſtantinopolitanæ præfuiſſet Eccleſiæ. Ita Sozomenus celeberrimæ tranſlationis earundem reliquiarum teſtis oculatus. *Sozom. l.9. hiſt. c.2.*

Non eſt hoc loco prætermittenda de Alexandro, S. Machthildis virginis, filiæ Regis Scotiæ, fratre hiſtoria. Cùm Monachus quidam fiſtulatum ex ulcere pectus haberet, oraretque ad tumulum jam defuncti, apparuit frater Alexander Sole lucidior, coronam geſtans in manibus, & corona capitis inſignitus. Cùm ergo monachus quæreret, quid corona B duplicata ſignaret, Corona, inquit, quam geſto manibus, corona extitit temporalis, quam pro Chriſto deſerui: illa verò quam geſto in capite, corona eſt, quam communem cum Sanctis accepi; & ut tibi fidentiùs in hac viſione credatur, ſecundum fidem tuam ſanus eris ab omni incommodo quo torqueris. *Thom. Barbant. l.2. apum c.10. §.4.*

Dorothea virgo & martyr ad paradiſum ſponſi ſui Chriſti ſe per tormenta perveniſſe probavit, brumæ tempore miſſis roſis Theophilo ſcribæ. Quam rem ille impenſiùs conſiderans, cùm priùs Chriſtianorum religionem irrideret, ſequi cœpit, ita ut gratanter & ipſe jugulum gladio ſubmitteret, nihil jam ambiguus de beatitudine adipiſcenda, quam tali argumento in Chriſto tantùm eſſe didicerat: Præferens igitur hujus vitæ voluptatibus cœleſtes roſas, ultrò martyrium adiit, & illatum odore decoreque captus mori optavit. *Petr. de Natal. l.2. c.101. Marc. Marul. l.6. c.16.*

☞ *Quære locum de Spiritibus, & Dæmone, ubi etiam nonnulla.*

* APPARITIONES DAMNATORUM.

☞ *Vide citatum locum de Spiritibus.*

C Hujus generis terribile horrendumque Dei judicium ſuper hominem, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua, ſcribit *Petr. Damiani*, quod ſe accepiſſe teſtatur à viro præſtantiſſimo, ſcientia & integritate notiſſimo Humberto Epiſcopo Silvæ candidæ, perfuncto hoc eodem anno (ut audiſti) legatione Conſtantinopolim. In epiſtola igitur, quam ſcribit ad Fratres eremi, hæc habet: De æquivoco quoque ejuſdem Benedicti Senioris Papæ nepote, qui poſt eum tertius, Joanni verò ſecundus, in Rom. Eccleſiæ invaſione ſucceſſit, idem mihi narravit Humbertus: Quia Vaclus quidam dum iter ageret, accidit, ut juxta molendinum equo inſidens pertranſiret: ecce repentè monſtrum immane conſpexit. Quo viſo, ſubitò eum terror invaſit, & ſtupefactus intremuit. Videbatur autem monſtrum illi in aures aſelli, caudamque deſinere, cætera urſus erat. Cumque viator ad hoc portentum territus obrigeſceret, fugamque præcipitem formidoloſus iniret, informe prodigium humanæ vocis verba formavit: Noli, inquit, ò vir, expaveſcere: hominem me olim fuiſſe, ſicut & ipſe D nunc es, procul dubio crede; ſed quia beſtialiter vixi, poſt finem vitæ beſtiæ præferre ſpeciem merui. Porrò cùm ille perquireret, quis fuiſſet: Ego, ait, ſolo nomine Benedictus fui, qui nuper Apoſtolicæ Sedis apicem indignus obtinui. Inquiſitus autem, quidnam retributionis haberet? Nunc, inquit, uſque ad diem judicii, per dumoſa, atque ſquallentia, per ſulphurea loca, atque fœtorem exhalantia, atque incendiis conflagrata rapior, atque pertrahor. Poſt extremum verò judicium, corpus meum ſimul, & animam, irremediabilis cruciatus, & gehennalis, barathri me irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi recuperationis ſpes in poſterum reſtet. Poſt hæc verò, & hujuſmodi verba diſparuit. Petrus autem, ſuper oſtenſa viſione philoſophatus, cur videlicet eo modo viſus ſit apparere, effigieque formari, iſta mox ſubjicit, dicens: Sed cùm ego, cur ille in hac ſpecie conſpectus ſit, indagare quæro, non deeſſe myſterium ab eo quod viſum eſt, deprehendo: Nam quia miſerabilis ille ab ipſo Pontificatus primordio uſque ad finem vitæ in luxuriæ cœno converſatus eſt, non incongruè viſus eſt, & ab auribus incipere, & in caudam aſini terminare. Aſinus quippè, luxurioſum eſt animal, ſicut Propheta deſignat, cùm de carnis immunditiæ deditis ait: Et E carnes aſini, carnes eorum. Quòd autem per cetera membra urſi tenebat ſpeciem, vitam in omnibus docetur duxiſſe carnalem. Nam ſicut à Phyſicis traditur, urſa cùm parit, non catulum, juxta conſuetudinem beſtiarum, ſed fruſtum carnis effundit: moxque quod effuſum eſt, crebriùs lingendo, & lambendo componit, ſicque ad ſui ſimilitudinem, lingua formante, perducit. Jure igitur, quia luxurioſè & carnaliter vixit, in aſini ſimilitudinem, & urſi figura comparuit. *P. Damian. Epiſt. ad Fr. in Eremo.*

Circa an. D.1090. ut refert *Vinc.* in civitate Nannetis duo clerici, nondum patientibus annis presbyterii, litis affatim inſtructi, inter ſe multùm amici, hoc pactum inierunt, ut qui prior eorum moreretur, alteri, vel vigilanti, vel dormienti, appareret, infra xxx. dies. Data acceptaque corporali fide, non multò poſt tempore unus eorum obiit. Trigeſimo autem die, adſtitit alteri vigilanti, & neſcio quid operis molienti, mortuus vultu exangui, & pallido, qui prior vivum compellans: Agnoſcis me, inquit? Agnoſco, reſpondit ille, & miror, quòd ita tardè appareris. F Ille priùs moram excuſans, tandem, Veni, inquit, & adventus meus ſi volueris, tibi fiet commodus, mihi autem omninò infructuoſus; nam ſempiternis datus ſum ſuppliciis, Ego, ait alter, juvabo te orationibus multis, jejuniis, & eleemoſynis. At ille reſpondit: Sine pœnitentia ſunt judicia Dei: in inferno, dum rotat Aſtra polus, dum pulſat littora pontus, pro criminibus meis puniar: ſi totus mundus mihi remedia exquireret, æterna tamen & innumera pœnarum genera patiar, & ut aliquam ex meis rationalibus pœnis agnoſcas, en unam: protendit manum ſanioſo ulcere ſtillantem. Videturne tibi, ait ille, levis? Cumque ille levem ſibi videri referret, ipſe mortuus curvatis in volam digitis tres guttas defluentis tabis ſuper eum jaculatus eſt, quarum duæ tempora, tertia frontem contingentes, cutem ſicut ignito jaculo penetraverunt, foramen nucis capax efficientes, illo magnam pœnam eſſe doloris clamore proteſtante: Hoc, inquit mortuus, erit tibi, quamdiu vixeris, & pœnarum meatum grave documentum, & niſi neglexeris, ſalutis tuæ ſingulare monimentum. Vade ergo, dum licet, muta habitum ſimul & animum, & eſto mona- G chus Rhedonis apud S. Melanium. Cumque ad hoc vivus reſpondere nollet, mortuus eum oculi vigore perſtringens: Si dubitas, inquit, miſer converti, lege literas: & hæc dicens, manum protendit tetricis notis inſcriptam, in quibus Satanas, & omne inferorum ſatellitium, Eccleſiaſtico cœtui gratias de tartaro emittebant, quòd cum ipſi in nullo ſuis voluptatibus deeſſent, tantum numerum animarum ſubditarum paterentur ad inferna deſcendere prædicationis incuria, quantum nunquam viderint retroacta ſæcula. His dictis, loquentis adſpectus diſparuit. Et audiens, omnia vendens & dans pauperibus, S. Melanium abiit, & monachus ibi factus, optimè converſatus eſt. *Ex Spec. hiſt. Vinc. l.25. c.89.*

An. D.1528. 20. Julii, Henricus quidam Lutheranus Tornaci combuſtus eſt. Sequenti nocte ſociis in carcere totus ardens apparuit. Illis præ timore clamantibus, ait: Niſi ab errore ceſſetis, mecum peribitis in æternum. Excitatus clamore carcerarius conſules urbis advocavit. Dicunt illis vincti: Facite de nobis quid volueritis, modò priùs confiteamur, ne cum Henrico pereamus. *Chriſt. Maſſeus l.10. Chron.* H

D. Martin. Duncan. Decanus Hagenſis, vir doctrina & vitæ integritate commendatiſſimus, retulit, ſe adhuc apud Harlemiam agente, ibidem contigiſſe circa ann. D.1557. ut Anabaptiſta quidam, nomine Arianus, matrem ſuam adhuc catholicam conaretur in ſuam ſectam pellicere. Accidit autem Anabaptiſtam illum in carceres conjici, ultimoque ſupplicio adjudicari; ad quod cum jam deducendus eſſet, acceſſit eum mater rogans, ut poſt obitum ſibi appareret, ſeque de ſtatu ſuo certiorem redderet, quem ſi felicem cognoſceret, ſe in eandem doctrinam conceſſuram. Filius ſupplicio affectus, paulò poſt matri apparuit in forma teterrimi, nigerrimique canis, ajens ſe eſſe filium ſuum, ac perpetuò damnatum. *Tilmannus Bred. l.7. collat. ſac. c.47.*

B. Maria Oegniacenſis erga animas, quæ in purgatorio torquebantur, valdè compatiens, ſuper anima quoq; matris ſuæ defunctæ ſolicitabatur in ſpiritu. Hanc itaque propter eleemoſynas, & propter honeſtum quendã vitæ modum, quo inter mundanos ipſa quoque mundana vixerat, ſperabat quidem poſſe ſalvari, ſic tamen quaſi per ignem. Super hoc tamen

men

men dubio, cùm ipſa timeret, quia judicia Dei abyſſus multa, rogavit Dominum, ut eam certam reddere dignaretur. Cumque multas in hoc lachrymas funderet, accidit die quadam, ut ad Miſſam in Eccleſia juxta altare, quaſi ad pedes Domini Maria ſederet, & ipſa horrore concuſſa, videret propè ſe, ſpiritum tenebroſum adſtare. Quæ mox, ſigno crucis timore fugato, audacter, quis eſſet, interrogat. Et ſpiritus: Ego ſum, inquit, mater tua. Cui illa quomodo, inquit, tibi eſt, mater? Tunc illa: Malè, inquit. Nihil me tuæ juvare poterunt preces, cùm me quidem damnatam perpetuò inferni clauſtra detinent. Mox itaque filia, illato gemitu: Heu, inquit, mater, quæ cauſa damnationis tuæ? Cui illa: Enutrita, inquit, fui, & vixi in his, quæ per injuſta mercimonia, & uſuras, acquiſita fuerunt, & conſcia mihi mali, ablata reſtitui non curavi, nec advertere volui, quid contra Deum in meo hoſpitio, & à meis ſubditis ageretur, ſed tortuoſas mundi vias ingreſſa, indignum miſera judicavi, progenitorum meorum veſtigia declinare. Sprevi arguentem te ſuper his, & aliis malis meis, nec in ullo pœnitui, & ideò infructuoſam vitam morte B commutans, à futura ſæculi vita deperii. Hæc dicens, Mater repentè diſparuit. Ancilla verò Chriſti, conſideratis per ordinem omnibus, etiam in matre damnata juſtum Dei judicium benedixit, nec flevit ampliùs perpetuæ morti matrem traditam, per quam carnis initia ſumpſerat: quia ratio intellectualis animæ, quam ſolus creavit omnipotens, judici univerſorum Deo ſubdita, concordabat. *Tho. Cantipr. l.2. Apum c.54. par.* 18. *& Iac. Vitriac. l.* 3. *S. Maria de Oegnic. c.11.*

☞ *Vide pleraque Tit. Revelationis Infernalium pœn. Tit. de Inferno, & in loco de Spiritibus, Dæmone.*

* DE CHRISTI POST ASCENSIONEM IN COELUM APPARITIONIBUS.

EXEMPLA HISTORICA SACRA.

Nero Imp. poſt multa, quæ conceperat adverſus Chriſtia- C nos, nefaria, Apoſtolorum Petri & Pauli, qui duces erant in pop. Dei, expetiit neces. At Petrus, monentibus amicis ad declinandam invidiam principis, via Appia ab urbe diſcedens, ad primum lapidem Chriſto fit obviam, quem adorans rogat, Domine, quò vadis? Tum Chriſtus; Romam iterùm crucifigi. Extat eo loco ſacellum, ubi verba iſta habentur. Petrus de martyrio ſuo dictum exiſtimans, ad urbem rediit, & ſtatim Epiſcopum conſecrat, eique Cathedram & Eccleſiam commendat his verbis: Eandem ego tibi poteſtatem ligandi & ſolvendi trado, quam mihi Chriſtus reliquit. Cùm hæc ita diſpoſuiſſet, non multò poſt unà cum Paulo juſſu Neronis necatur. *Io. Naucler. tom.2. gen.3. ex Ambroſ. Epiſt.32. contra Auxentium. Greg. in 4. Pſ. pœnit. Egeſip. l.3. de excid. c.2.*

Cùm S. Panteelemon ſive Pantaleon martyr in ligno primùm fuiſſet appenſus, deinde ferreis laniatus ungulis, & lampades ignis lateribus ejus admotæ; non plagis & uſtionibus, ſed ei, qui poteſt opem ferre, attendebat, & oculos in cœlum tollens, orabat: & ideò ſtatim adfuit liberator D Chriſtus apparens in habitu Hermolai Chriſtiani ſenis, eum verè ac germanè conſolans & recreans: Ego enim tecum ſum, ait, in omnibus, quæ propter me pateris; ſtatimque laxatæ ſunt manus lictorum, & lampades, quibus torquebatur, extinctæ. *In vita ejus apud Sur. c.* 37. *Iul. die* 27. *ex Metaphr.*

Quadam nocte cum S. Kilianus Herbipolenſium Epiſcop. leves carperet ſomnos, ita ut nec dormiret integrè, nec vigilaret apertè, apparuit ei vir habitu formaque pulcherrimus, qui diceret: Amice Kiliane, ſurge, nolo te diutiùs laborare: dumtaxat certamine tangeris, & ſic victor jugiter mecum eris. His dictis abſceſſit. Evigilans autem egregius vir, intelligens, divinam eam eſſe viſitationem, convocatis fratribus, inquit: Fratres, vigilemus, citò aderit Dominus, & pulſabit januam. Cavendum nobis eſt, ne nos ſomno torpentes inveniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus eſt, ne ſi fortè defecerit, tunc incipiamus quærere, quando non poterimus invenire. Illis itaque circa medium noctis orationi vacantibus, carnifices ſtrictis gladiis locum, in quo orabant, penetrarunt. Quos cum ſacer vir intuitus eſſet, ait: Amici, ad quid veniſtis? Vos implebitis præceptum, nos curſum conſummabimus. His dictis interfecti E ſunt. *Cæſar Baron. tomo 8. Annal. ad ann.689.*

Crudeliſſimè excarnificatus eſt S. Menas ab Hermogene præfecto: Siquidem oculi eidem effoſſi, evulſa lingua, caro miſerè dilacerata: ſed divina non caruit conſolatione. Apparuit miſero Chriſtus, atque omnia ipſi membra reſtituit & ſanavit. Hortatur quoque deinceps ad conſtantiam, promittitque præſens in adverſis omnibus auxilium. *Metaph. vit. ejus apud Sur. tom.6.*

Apparuit quoque Chriſtus Dominus B. Barbaræ exiſtenti in carcere, & præſentia ſua carcerem mirificè illuſtravit, atque virginem ad conſtantiam eſt hortatus. Eodem tempore mox plagæ ejus curatæ ſunt magna omnium admiratione. *Sur. in vita ejus 4. Decembr. ex Metaphr.*

An. D.112. vel potiùs 139. Alphonſus Luſitaniæ Rex commiſſurus prælium contra quinque Reges Saracenorum, juſſus eſt in ſomnis à Chriſto, bono eſſe animo, & ſigno uti in prælio, cui quinque vulnerum imago inſcripta; & obtinuit victoriam memorabilem. Et hinc fluxit Luſitaniæ Regum inſigne. *Tho. Boz. l.17. de Sign. Eccl. c.7. tom.2.*

S. Vvilhelmus fortis Chriſti athleta, in vocationis propo- F ſito admodùm firmus, religionis & inſtituti ſui tam erat æmulator vehemens, ut cùm jam Superioris, ut vocant, fungeretur officio, nulla ſineret ſacræ religionis inſtituta violari. Intereà apparuit illi nocte quieſcenti Dominus Jeſus ſub forma ſpecioſiſſimi adoleſcentis, vocanſque eum proprio nomine: Noveris, inquit, Vvilhelme, te ad quandam inſulam mecum profecturum, multaſque illic tentationes & moleſtias perpeſſurum; ſed iis mea ope ſuperatis, ad me venies in cœleſtem paradiſum. Quam rem non priùs intellexit, quàm eſſet in Daniæ inſulam Zelandiam, ubi modò quieſcit, accitus. *In vita ejus apud Sur.6. April. tom.2. pag.614.*

Utrum viderim, dubito, Monachum Ciſtercienſis Ordinis, virum pietate plenum, de quo tale miraculum ferebatur. Algore nivium terra Brabantiæ reſperſa per totum, monachus ille in itinere exiſtens, præmiſſo in villam famulo, ſolus in campis per devia veniebat. Et ecce invenit puerum elegantiſſimæ formæ quaſi triennem, magno fletu & ejulatu, ſolum in nivis frigore reſidentem. Compaſſus igitur tali puero, equo deſcendit, & complexus flentem, flere cœpit cum eo, & quærere quid haberet? Tacente autem puero, iterùm ingemi- G nat, ingemiſcit quærens, ubi eſt mater tua? nunquid perdidiſti matrem? Ad interrogationes igitur illius, puer fortiùs ejulans, tandem dixit: Heu me, heu me, quare non flerem? quare non ejularem? Ecce vides, quòd egens, ſolus, & in frigore ſedeo, & non eſt qui colligat me, & hoſpitium mihi præſtet. Mox monachus ſurgens, & puerum in brachiis elevans, oſculatus eſt eum, dicens: Ceſſes flere dilectiſſime, quia ad hoſpitium portabo te, & faciam enutriri. Hoc dicens, cum puero equum aſcendere voluit; ſed puer de brachio tenentis exiliens, repentè diſparuit, quia Chriſtus filius virginis fuit. In terram igitur cadens monachus, ejulare & flere cœpit ubertimè, & cùm diù ſic ejulans jacuiſſet, tandem quæſitus à ſervo, inventus eſt; elevatus in equo ad hoſpitium ducitur. A quo cùm quæreretur, cur fleret? nihil aliud una nocte dicere potuit: Heu me, puer bone, puer pulcherrime, quare me dereliquiſti? cur tam citò abiiſti? cur te perdidi? Poſt hæc monachus conſolationem recipiens, cuidam rei eventum retulit, qui illis, per quos ſcivi, tantæ rei miraculum & pia- H culum patefecit. *Thom. Cantipr. l.2. de Apibus c.* 1. *p.*13.

Eo ipſo die, quo Romam acceſſit P. Ignatius Lojola, res ei contigit vel ad memoriam poſteritatis inſignis, vel ad confirmandum in propoſito Ignatium cæteroſque haud mediocriter efficax. Etenim orandi cauſa non longè ab urbe templum egreſſo, qualia paſſim impoſita militari viæ cernuntur, ſtatimque, ut ſæpè ſolebat, abſtracto à ſenſibus, atque alta quadam animi contemplatione defixo, clariſſima in luce per ſpeciem illi ſeſe Deus pater oſtendit, Jeſu filio bajulanti crucem, & crudeliſſimis affecto ſuppliciis, præſentem Ignatium Lojolam commendans; quos ille cum in fidem ac patrocinium libentiſſimè recepiſſet, ad Ignatium placido & ſereno vultu converſus, hæc ipſa effari verba dignatus eſt: *Ego vobis Romæ propitius ero. Io. Petr. Maff. lib.2. de vita ejus c.5. & Petr. Ribad. l.2. c.11.*

Elizabeth Pannorum regis filia, dum ſe ſupra ſe tollens cœleſtia meditaretur, in extaſim abibat, & mente cernebat, quod oculi pervidere non poſſunt: quod ne tum quidem, cum ad ſe rediiſſet, diſſimulare poterat, tantam etiam tacita facies hilaritatem præſeferebat. Eadem cùm aliquando nimio labore fatigata, laſſaque reſediſſet, oculis in cœlum

A intentis, fronte modò jucunda, modò triſti apparuit. Cujus cauſam interrogata, confeſſa eſt ſe in nubibus vidiſſe Jeſum, qui nunc ſe oſtendens lætam reddebat, nunc tegens mœſtam. Denique ipſum hæc ſibi dixiſſe: Bono animo eſto filia, ego tecum ſum: & ſe reſpondiſſe: Ita Domine, tu mecum, atque ego tecum. Eidem poſt vitam multis annis religiosè tranſactam idem Dominus apparuit, atque dixit: Veni ſponſa, cœleſti thalamo potire. *Mart. Marul. l.2. c.4.*

Leucippa, uxor Clitophontis hominis idololatræ, multis annis ſterilis, ad religionem Chriſtianam ab Honufrio monacho converſa, cum fide concepit prolem. Maritus diis hoc beneficium tribuit. At illa, Non, inquit, ita: Deus cœli eſt, à quo prolem habeo. Ille mihi etiam in ſomnis apparuit, formam habens humanam, ſed manus per modum crucis extenſas, monens, ut tibi marito eandem fidem ſuadeam.

APPARITORES. LICTORES.

Ἀποδεικτοὶ Græcis.

B

Eorumque Notæ. ☞ *Conſule Tit. de Lictoribus.*

Apud Athenienſes & omnem ferè Græciam, ut diſcrimen perſonarum notaretur, magiſtratus non lictores, ſed lixas ſimul & virgas habuerunt vice lictorum, quos liturgos nuncupant. Fertur verò Germanicus, Athenienſes ſocios & fœderatos uno lictore velut præcipuo munere donaſſe. *Alex. l.1. cap.27.*

Apud Rom. olim non tantùm XII. Lictores cum faſcibus & ſecuribus, ſed Apparitores quoque regem præire conſueverant. Prætereà etiam Apparitores, qui aſtabant lateri, & corporis ſtipatores erant, ut ſi quando opus eſſet, ad imperium nutumque regis præſto forent. Præter eos fuere etiam Viatores in regio comitatu, qui, quoties ſenatus cogendus eſſet, ex agris ſenatores advocarent, contumaceſque citarent & arriperent. Quippè cum priſcis temporibus proceres civitatis morarentur in agris, ſi quando concilium publicum C cogendum erat, à villis accerſebantur in ſenatum: ex quo, qui eos evocabant, viatores dicti: quique ex viatoribus ligandi cædendique jus habebant, lictores nominati ſunt: quibus juſſu regis delinquentes vincire, nudatoſque virgis cædere, & ſi crimen expoſceret, ſecuri percutere negotium erat. Ideò lora in ſinu geſtantes, regi apparebant: quibuſque mandatum erat, facinoroſis delinquētibus crura & manus ligabant, ut poſt verbera noviſſimo exemplo afficerent; præter hos fuit Accenſus & Præco, qui dicto conſulis alteriuſve magiſtratus ad imperium nutumq; præſto eſſent: Accenſus ut ad concionem: Præco ut ad comitia Quirites advocaret. Quod munus ut eſſet expeditius, libertis dari conſuevit: ſicut miniſtrorum apparitorum, Brutiariis, coactis ſervilia exhibere, pro eo quòd bello punico ſecundo poſt cladem Cannenſem ad Hannibalem defeciſſent primi. Poſt exactos reges, Coſſ. creatis, cùm omnia inſignia, quæ apud reges erant, populus conſulibus conceſſiſſet, L. Brutus & P. Val. Poplicola, aſſertores & vindices Romanæ majeſtatis, ut mitem & plebi percharum efficerent conſulatum, in publicum prodeuntes, ſecures à faſcibus dimoverunt, & cum ſolis faſcibus ad populum concionati ſunt. Porrò illis magiſtratibus ſecures D cum faſcibus in urbe præferebantur, qui ſine provocatione ſummam imperii tenebant: ut Dictatori, & Decemviris, à quibus ad majus tribunal provocatio non erat. Dictatori inſuper pro honore ſummi imperii, quatuor & viginti lictores cum faſcibus & ſecuribus, viatoreſque & apparitores, qui ſummoverent turbas, præibant. Conſulibus in urbe XII. lictores cum faſcibus tantùm, demptis ſecuribus: quippè ſuprema poteſtas & jus de nece civis conſuli intra pomœrium non dabatur: foris verò, ut in decreta ſibi provincia, aut quum caſtris & legionibus præeſſet, faſces cum ſecuribus, unàque lictores apparitoreſque præcedebant. Inter conſulem & proximum lictorem, nemini officii cauſa niſi conſulis filio aditus erat. Proconſulis inſignia erant eadem, quæ conſulis: nam & lictores, faſces, ſecures, prætextam curulemque ſellam in provincia ſibi decreta velut conſultò retinebant. Prætoribus ſex tantummodò lictores cum faſcibus Romæ; in provincia verò ſibi decreta pro majeſtate imperii etiam cum ſecuribus præibant. Paulum tamen Æmilium, cùm prætor in Iberos duceret, cum XII. lictoribus præturam geſſiſſe, auctores tradunt: nempè ut dignitas conſularis adjuncta prætoriæ videretur. Tribuni plebis ſolum viatorem apparitoremque à prima origine ſine lictore E habuere, qui etiam libertini erant: quippè cum Tiberius Gracchus in tribunatus libertis apparitoribus primus uſus fuiſſe dicatur. Poſteà verò quàm provincias ſortiri cœpere, & illis cum imperio præeſſe, etiam lictores habendi tribuno facultas data eſt. Quæſtores verò, ædiles, duumviri, & minores magiſtratus, qui prehenſionem & vocationem non habebant, in urbe nec lictore utebantur, nec viatore, tametſi prætorem XII. ſecures cum faſcibus, & quæſtorem, lictorem & faſces quandoque habuiſſe legamus: quod in provinciis, quas ſortiti prætores quæſtoreſque fuerant, non autem intra pomœrium, licuiſſe appatet. Extra urbem enim his uti faſcibus & lictoribus interdum cum ſecuribus licebat, ut ſceleris & perfidiæ pœnas à facinoroſis expeterent: in urbe verò minimè, niſi quæſtores patricii forent, quibus pro imperio & majeſtate, cùm crimina vindicarent, in urbe lictores cum ſecuribus ſæpè prælati ſunt. M. tamen Livius Druſus, dum quæſtor Aſiam obtineret, nullo lictore aut alio inſigni honorum uti voluit, ne quid ſe ipſo inſignius provincia haberet. Fuitque vetus conſtitutum, ut præfecti provinciarum & præſides, ſenatoribus ex claris majoribus & in- F clytæ familiæ peregrè agentibus, quò conſpectior dignitas & honoratior foret, plerumq; in provincia lictores cum bacillis darent: utque ſi reges externi aut fœderati in provinciam pop. Romani venirent, magiſtratus Romanus aut præſes illis cum lictoribus & faſcibus præiret. Mario enim prætore Aſiam obtinente, & in eam profecto Mithridate, ſemper cum faſcibus Marius præceſſit Mithridatem. Faſcibus, quos præferebant lictores, betulas virgas maximè commodas duxere. Itaque ex illarum virgis, tum propter candorem, tum propter tenuitatem, publicos faſces, qui magiſtratibus præirent, effecere. *Alex. l.1. c.27.*

---

* Appellatio.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

APpellatio vocabulum eſt Juriſconſultis uſitatum, & ſumitur pro eo quòd ad ſuperiorem Judicem provocetur à gravamine inferioris. Et vocatur etiam Provocatio, ac In- G terceſſio. Quamvis Scholiaſtes Livii hoc inter illa diſtare velit, quòd appellatio locum habeat inter majores & minores, provocatio inter æquales, interceſſio utriſque conveniat. Confunduntur nihilominùs in jure. Græcum vocabulum ἐπικαλοῦμαι, ſignificat invocare ſive provocare alium, eoque utitur interpres *Act. c.25. verſ.11.* ubi Paulus vinctus dicit, Cæſarem appello; & *Plut.* illius meminit *in Publicola*, quòd nempè apud Romanos, Νόμος τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν ὑπάτων τῷ φεύγοντι δίκην ἐπικαλεῖσθαι δίδωσι: Lex permittit reo vitanti judicium ſive pœnam, à Conſulibus ad populum provocare. Quam provocationem nominat *Cic. l.2. de orat.* patronam civitatis, vindicem libertatis pop. Rom. *Legatur Pompon. Juriſc. l.2. §. exactis, ff. de orig. Juris.*

EJUS UTILITAS.

Appellationis uſus non modò utilis eſt, ſed & neceſſarius, utpotè per quam Judicis imperitia vel iniquitas frequenter corrigatur; quamvis nonnunquam, ut in omni re defectus eſt, ſententiæ benè latæ improbentur. H

DIVERSITAS.

Appellatio dividitur in Extrajudicialem, & Judicialem. In quibus illa membra continentur, quæ alii quatuor faciunt, dum dicunt, appellationem aliam eſſe Antejudicialem, quæ fit ante litis conteſtationem; Intrajudicialem alteram, quæ ante judicium fit; Judicialem, quæ fit à ſententia definitiva & Poſt judicialem, quæ adjicitur executioni. Extrajudicialis appellatio eſt, quæ cauſa adhuc non cœpta interponitur habetque vim citationis in cauſa beneficiali, ait *Pet. Greg. Toloſ. l.30. Syntag. c.2. n.6.* Judicialem definiunt, quæ de rebus in Judicium jam deductis, in quacunque Judicii parte fit.

QUANDO, ET QUIBUS DE REBUS FIAT.

Regula generaliter ſervanda eſt, poſſe fieri appellationem ab omnibus gravaminibus, & ſententiis, ac quibuſvis caſibus, niſi ſpecialiter in jure prohibita inveniatur; quomodo à ſententia interlocutoria non appellatur, ſi non inferat damnum irreparabile per definitivam, aut vim definitivæ non habeat. Speculator à P. Greg. ſupra citatus, ponit 37. caſus, quibus vetita appellatio. *§. in quibus Tit. de Appell.*

QUAN-

A

QUANTUM DEFERENDUM.

Legitimè facta appellatione non poteſt Judex à quo, in cauſa à qua appellatur, quidquam moliri; alioquin jure civili multatur 30. libris auri, *L. quoniam Judices.* Jure pontificio relinquitur arbitrio Judicis, *Cap. priore de appell.*

Apud Romanos olim Capito, cùm reus ab eo dicente Cæſarem appellaſſet, arrogantia tumens in altiorem ſellam conſcendit, cauſaque rurſus cognita damnavit, inſolenter exprobrans, jam cauſam coram Cæſare ageret: at inſolentiæ ſuæ pœnas luit apud Galbam Imp. *Xiphilin. ex Dione in Gal.*

Lege *Julia* de vi publica, qui afficit injuria appellantes, bonis cum infamia fiſco delatis afficitur. Iniqua tamen appellatio, quæ fomentum eſſet malitiæ, vel ſubterfugii litigantium, admitti non debet, uti nec in gravioribus criminibus reorum. Suſpendit autem appellatio regulariter, ſaltem ſi executio ſit irreparabilis.

APPELLATIO AD QUOS FACTA.

Utputa. *Ad Judicium Divinum.*

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Sic fecit Sara, cùm dixit Abrahæ: Judicet Dominus inter B te, & me. Idem fecit Jacob adverſus Laban. *Gen.31.16.*

Ita quoque David ad Saulem: Judicet Dominus inter me & te, ut ulciſcatur me Dominus ex te. *1. Reg.24.*

Zacharias filius Jojadæ, cùm juſſu Joas regis interficeretur, ſimilia protulit; Videat Dominus, & requirat. *1. Paralip.24.23.*

Septem fratres Machabæi, pro patriis legibus ab Antiocho improbè tractati, eidem non obſcurè diem dicebant coram Deo, dicentes: Dominus Deus aſpiciat veritatem &c. Videbis magnam poteſtatem Dei, qualiter te, & ſemen tuum torquebit. Tu non effugies manum Dei, &c. Quas appellationes efficaces in ſe mox expertus eſt. *Lib.2. Machab.*

Paulus Apoſtolus Alexandro ærario impunitam eſſe non debere injuſtitiam ejus cenſuit, cùm dixit: Reddat illi Dominus ſecundùm opera ejus. *2. Timoth.4.25.*

EXEMPLA HISTORICA.

Si conſtet, judicem juſtè judicaſſe, nec ullum ei ſit dubium de ſententiæ aut facti, propter quod citatur, æquitate; tunc parvi facienda eſt hujuſmodi citatio ad tribunal Dei: Juſto enim judici præmium à Deo, cujus vice fungitur, non ſup- C plicium eſt expectandum. Sciebat hoc magnus ille imperator militum Gondiſalvus Ferdinandus de Corduba: Qui cùm Tarentum obſidens maleficum quendam ſeditioſumque (inquit Jovius) militem ad ſupplicium duci juſſiſſet, illeque multùm reluctatus ſe iniquiſſimè damnari vociferaretur, & proinde Gondiſalvum ad dicendum cauſam ad Dei Maximi tribunal magna voce citaret: Vade, inquit Gondiſalvus, confiſus optimo judice, & cauſam inſtruere: Nam ibi pro me aderit, qui opportunè reſpondeat, Alfonſus frater, qui nuper ex Serra Vermegia in cœlum contendit: Tum enim Gondiſalvo nuntiatum fuerat, fratrem à Mauris circumventum, dignum forti piaque Duce mortem oppetiiſſe. *In vita Gondiſalvi apud Delr. tom.2. lib.4. cap.4.*

A Ferdinando IV. Caſtellæ & Legionis Rege duo nobiles fratres, è municipio Tuccos Carvajalii, Petrus & Joannes comprehenſi, è vinculis more gentis cauſam dixere, cæſi ad Palentiam, cùm regia noctu egrederetur, Benavidii viri primarii, læſæ majeſtatis poſtulati. Cædis auctor cognoſci non poterat, ſuſpicionibus multi exagitati, hi oppreſſi, neque judicio convicti, neque crimen faſſi, (quæ maxima D judiciorum labes eſt) de vicina rupe præcipites dari juſſi. Rex intractabilis erat, cùm recens injuria provocabat. Aulici (ut fit, viris nobilibus evertendis) acriter ſpeculabantur. Rapti ad ſupplicium, Divum hominumque fidem teſtati ſe innocentes mori, quoniam regiæ aures obturatæ eſſent, ad Deum æquiſſimum judicem provocavere, Regique diem dixere, ex eo die trigeſimum. Eæ voces in præſenti pro vanis habitæ, caſu fortaſſe, at mirabili certè eventu confirmatæ ſunt. Rex nulla periculi cura Alcandentem à Mauris occupatam in caſtra abiit. Ibi morbo tentatus graviſſimo Giennium ſeſe retulit: quo tempore de eo oppido dedendo à Mauris mentio erat illata. Vis morbi in dies augebatur. Rex curis gravioribus impari valetudine, lætus tamen nuntio oppidi capti, novæ irruptionis faciendæ conſilia explicabat, cùm die Jovis, ſeptimo Idus Septembris, die 30. è ſupplicio à prandio ſomno ſe dans in ſtrato exanimatus repertus eſt, in ipſo ætatis flore, annos natus XXIV. menſes novem. *Jo. Mariana de reb. Hiſp. l.15. c.11. ann. Dom.1312. ex Ritio l.3. de Regib. Hiſp. & aliis. Lipſ. lib.2. exempl. cap.12. an.1312.*

Henricus Moguntinus (vel ſecundùm alios Vvormacenſis) Epiſcopus, falsò, & per calumniam Arnoldi accuſatus, E & per prævaricationem Cardinalium duorum à Pontifice Eugenio III. ad cauſæ cognitionem delegatorum depoſitus, Arnoldo ſuffectus fuit; ſed ad juſtum judicem Deum interpoſita appellatione, ſequenti anno mortuus fuit. Ejus audita morte, ambo illi Cardinales obiere ſubitò: alter digitos proprios arrodens, alter in latrinis, Arii morte. *Conrad. in Chronic. Mog. Joan. Thyr. de judicio particulari cap.6. Lipſ. lib.2. exempl. cap.11. an.1154.*

Narrat *Lambertus Schafnaburgenſis*, Abbatem Herveldenſem cum Bucardo Halberſtadenſi Epiſcopo diuturnam traxiſſe litem propter decimationes Saxoniæ, quas Epiſcopus Herveldenſi monaſterio ereptas, per occaſionem Epiſcopalis regiminis ſibi vindicabat. Contra cujus improbitatem cùm nec forenſes, nec Eccleſiaſticæ leges quidquam valerent, & Abbas ſæpè querimonia in jus delata ſurdis tribunalibus fabulam narraſſet, tandem brevi, antequam vita excederet, mandavit ei per Fridericum Palatinum comitem, ſe quidem tanquam viribus imparem cauſa cadere, Deo tamen vires ad tuendam æquitatem non defuturas eſſe: proinde parati ambo eſſent, ut intra paucos dies ad tribunal æquiſ- F ſimi judicis Dei cauſam dicerent: victurum ibi eſſe, non qui plus poſſet, ſed cujus cauſa juſtior eſſet. Nec fefellit eventus: nam poſt dormitionem Abbatis pauci dies interceſſerant, & ecce Epiſcopus, cum prædictæ rei gratia Synodum induxiſſet, & admoto jam equo illuc properare vellet, repentè divina animadverſione ictus corruit, reportatuſque ad cubiculum, adſcitis ocyùs presbyteris ſuis per Deum obteſtabatur, ut decimationes ſuas Herveldenſi monaſterio reſtituerent, atque omnem in perpetuum ſuper hac re litem præſcinderent, ſcirentque, cunctis, qui eadem tentaſſent, ſic infeliciter rem ceſſuram, uti ſibi ceſſiſſet, qui injuſtæ exactionis tam acerbum vindicem ipſum experiretur Dominum. Cumque Magdeburgenſis, & Hildenesheimenſis Epiſcopi viſitatum eum adveniſſent, cum magno ejulatu fatebatur, ſe juxta prædictum eximii Abbatis ad tribunal Dei jamjam abripi, & pro invaſis rebus alienis rationem exigi; rogabatque obnixè, ut miſſis Herveldiam nuntiis, veniam ſibi pro admiſſo ſupplices precarentur. Nec multò poſt diſruptis miſerabili genere morbi viſceribus expiravit. Uto quoque Archipresbyter ejus, quo ille potiſſimùm incentore G in hanc ſententiam inarſerat, quique exactor atque miniſter hujus calumniæ vehementiſſimus extiterat, eodem anno ſubitanea morte, ſine confeſſione, ſine ſacra communione interiit, à Diabolo (ut fama vulgatior loquebatur) ſuffocatus. *Lambert. Scafnab. apud Bar. tom.11. Annal. an.1059.81. 82. Juſt. Lipſ. lib.2. exempl. c.212.*

Memoratu hoc loco digniſſimum eſt, quod legitur apud *Thom. Cantiprat.* aliàs Brabantium, *in lib. Apum*, ſcriptorem doctum, eruditum, & veracem, his verbis: Monaſterium D. Jacobi apud Leodium notum multis eſt, & acceptum. Iſtud quidam adoleſcens, conſobrinus majoris Præpoſiti, cauſa devotionis & Religionis intravit: quod ut audivit Præpoſitus, indignè tulit: mox forti manu collecta ſatellitum, intrat violenter cœnobium, rapit Juvenem, & nudatum ſancto habitu ſæculari induit. Abbas ergo monaſterii, collectis primoribus civitatis, Epiſcopo conqueritur, & totum Clerum pro tantis injuriis interpellat. Hoc autem cùm indignanter audire vix vellet Epiſcopus, & Abbatem potiùs duris verbis impeteret, flexis Abbas genibus, cum moderamine verborum dixit: Judicem contra te, ò Præpoſite, in terra habere non poſſum; & ideò contra te Deum ſummum judicem interpello, ut intra quadraginta dies uterque H noſtrum compareat coram illo ſententiam pro meritis accepturus. Ad hoc Præſul cacchinnans cum ſuis irriſit hominem, atque ſprevit, & repulit exprobratum. Quid plura? quadrageſimo die circa nonam mortuus eſt dictus Abbas, & cùm pro eo ſolemniter pulſaretur, ſedens in balneo Præpoſitus, quæſivit à circumſtantibus, quid hoc eſſet? moxque quidam ingrediens, & requiſitus de ſonitu campanarum, reſpondit, Abbatem S. Jacobi modò eſſe defunctum, & pro eo pulſationem fieri tam ſolemnem. Illicò recordatus Præpoſitus, quadrageſimam diem eſſe, qua ſe citatum coram ſummo judice audierat ab Abbate, conſternato animo dixit ſuis: Citò, videte, quid faciam, mortuus ſum; comparere me hodie ſummi judicis conſpectibus oportebit. Nec mora, poſt verba hæc, cùm balneum egredi feſtinaret, in aſtantium manibus cum diro ejulatu & vocibus expiravit, ibi procul dubio reſpondere compulſus, ubi cauſarum ſtrepitus ceſſant, juriſperitorum advocatio conticeſcit; ubi

nec